

dem numerorum cum binis notis infimis in plagula concurrunt, divisorem 7 adposui, manifesto septenis columnis verticalibus divisor ille eodem redire debet ordine: simili prorsus modo processu cum divisore 11, qui undenis semper columnis verticalibus repetebatur; quare uterque divisor 7 et 11 quibusvis 77 columnis verticalibus eundem perpetuo in tabula referre debet situm. Si plures ejusmodi plagulas exarassem, illae a prima nonnisi per seriem horizontalem in fronte positam differrent, quarum posterior ibi incipit, ubi antecedens desinit, secus omnes reliqui numeri invariato ordine manerent, sed etiam illa post quamvis centesimam plagulam rediret; curavi itaque plagulam illam cum lineis sese decussantibus et numeris in latere et in fronte eidem adscriptis una cum divisoribus 7 et 11 suis in locis in ea notatis, simul termini ad quem numeri plagulae porrigunt notas quatuor infimas atque paginam illius 01 in capite adpositam typis excudere, ejusque 26 exemplaria sive totidem plagulas prelo eximere: quo facto, solvit typhotheta jugum, quo forma typographica fixa haerebat, atque seriem illam in fronte sitam una columna versus sinistram promovit, ita ut jam numero 03 inciperet, et numero $3 + 76 \times 3 = 31$ finiret, simul terminum et paginam plagulae, uti res poposcit, commutavit: hujus immutatae jam formae rursus 26 plagulae prelo exemptae sunt, atque itidem jugo laxato seriei aliae atque aliae mutationes successive inductae sunt, donec non ultima series, quae centesimam cum prima serie identicam antecedit, prelo expressa fuit. Curavi jam elucubrare alteram formam typographicam ad exprimendum convenientibus in locis divisorem 13 destinata, simul madentes post primam impressionem plagulas in 13 cumulos ita ordinavi, ut quilibet eorum duo exemplaria cujuslibet paginae a 01 ad 99 contineret. Jam tecto jugi chartaceo formae huic appresso comparuerunt ubique vestigia numeri 13, quibus dein scalpro quadrilatero foramina excutiebantur, trans quae numerus 13 penetrare et in charta supposita sese exprimere poterat, atque primum plagularum cumulum prelo eximere jussi: deinceps forma typographica eo pacto successive immutabatur, ut jam secunda, tertia, etc. columna verticali inciperet, quibus singulis formae mutationibus sequentes 13 cumulorum prelo successive eximebantur. Quoniam vero plures plagulae in hac altera impressione non tam accurate prelo suppositae erant, ut character divisoris 13 hinc et inde a tramite justo non deflecteret, necessitas poposcit, medietatem operis mendosam discernere, alteram vero, quae ex